



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. cxii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Ex eodem cap. 4. **S**Tatutum est ab episcopis, de presbyteris qui fornicant secum indiscretè habitare permittunt, & propter hoc malæ opinionis suspitione denorantur, & si deinceps admoniti non se correxerint, velut contemptores factorum canonum canonica inuestione feriantur.

Ex cõcil. Agatēsi cap. 3. **I**D etiam ad custodiendam vitam & famam speciali ordinatione præcipimus, vt nullus clericorum extraneæ mulieri qualibet consolatione aut familiaritate coniunctus, & non solum in domum illius extranea mulier non accedat, sed nec ipse frequentandi extraneam mulierem habeat potestatem, sed cum matre tantum & sorore & nepote, si habuerit aut voluerit, viuēdi liberam habeat potestatem, de quibus nominibus nefas est aliud quam natura constituit suspicari.

Vt ancilla à cellario presbyterorum remoueantur.

Ex cõcil. Remēsi, cap. 3. **A**ncillas vel libertas à cellario vel à secreto ministerio, & ab eadem mansione in qua clericus manet placuit remoueri.

Quòd diaconi, sicut episcopus & presbyter, cessare debeant ab opere coniugali. Cap. CXIII.

Ex epist. Leon. pa. cap. 17. **L**Ex continentia eadem est altaris ministris, quæ episcopis atque presbyteris. Qui cum essent laici, siue lectiores, licitè & vxores ducere, & filios procreare potuerunt, sed cum ad prædictos peruenerint gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Vnde, vt de carnali fiat spiritale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habeant sic habere, quo & salua sit charitas connubiorum, & cessent opera nuptiarum.

Ex cõcil. Turonic. cap. 6. **E**T quia diabolo nullum locum dare oportet, hoc præcipuè custodiendum decreuimus, vt nulli clerici cum extraneis fœminis habeant familiaritatem, nec vllum malè loquendi vel sentiendi hominibus aditum tribuāt, quia fre-